

diversis sibi succedentibus dominiis civilibus cum enumeratione et naturae juridicae demonstratione paroeciarum regularium hujus provinciae usque ad nostros dies.

A. De jure et munere pastoralis tempore domini Venetiarum (a saec. XVII usque ad 1797)

Territorium hodiernae provinciae SS. Redemptoris, in quo munus pastorale exercet in parochiis, protenditur interiore sic vocata montana parte Dalmatiae a flumine Narenta (a civitate Metkovići) usque ad amnem Zrmanja; a Vrulja vero usque ad Narentam tenet et litora maris, vocata Makarsko primorje.³ In eodem hoc territorio Vicaria Bosnae jam ante Turcarum invasionem numerosos possidebat conventus, uti in Imotha, Cetina, Vrlika (?), Tinnin (Knin), Scardona, Clissa, Carin, Visovac, Zaostrog.⁴ Officium fratrum, praeter vitam coenobiticam, erat illud toties in praecedentibus capitibus memoratum, conversionis nempe haereticorum et sic conversorum curam spiritualem gerendi. Quod ipsi saltem in partibus hodiernae Dalmatiae tunc regno Bosnae subjectis et limitrophis tali negotio operam dederint, cum magna probabilitate concludere possumus ex fine erectionis conventuum e. g. in Vilkriko (Vrlika?), Knin...⁵

Sed si, propter documentorum penuriam, cum certitudine determinari nequeat initium et extensio hujusmodi eorum laboris pastoralis ante Othomanorum expugnatio-

³ Zlatović S., *Franovci države Presv. Odkupitelja i hrvatski puk u Dalmaciji*, Zagreb 1888, 251. Eadem provincia habebat duo hospicia in insulis Pharensi et Brachiensi.

⁴ Ibidem, 25, 33—34.

⁵ Supplicarunt nempe fratres inibi conventus erigere pro conversione haereticorum et schismaticorum. Vide supra p. 42. Sic Georgius, Dei gratia, Dux Partium Inferiorum (milošću Božjom vojvoda Dolnjih Kraja), nepos celeberrimi Ducis Hrvoje Vukčić, a. 1434 die 12 Augusti ponit nobiles familias Jurjević et Vukičević eorumque mobiles possessiones (feudum), locos in Gorska Župa (regio circa Vrhgorac) et in regione a Bast usque ad Bačina sub protectionem et jurisdictionem Vicarii Vicariae Bosnensis, ejusque religiosorum. Ex quo clare elucet Franciscanos ibidem munus pastorale exercuisse. Talis enim potestas et jurisdictio coincidit cum officio pastoralis illius temporis. Miklosich, *Monumenta serbica*, 377—379 n. 320.